



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LXXI. De Incestu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

2. *Quer.* An consentiente marito copula illicita uxoris suae fiat adulterium? *Resp.* Affirmative, quia licet non fiat injuria marito, fit injuria Sacramento, & Praecepto Divino. *Matthius dict. disp. 11. num. 121.*

3. *Quer.* An sit in Confessione exprimendum, quod sit conjugatus tantum ipse adulter, vel tantum ipsa adultera, vel quod uterque? *Resp.* Esse utrumque exprimendum; quia majus peccatum est, si mulier sit conjugata; maximum si uterque, id est, adulter, & adultera sint in matrimonio proprio constituti. *Matthius ibidem.* Et probavi in meis Decisionibus de Poenitentia *decis. 27. num. 17.*

4. *Quer.* Cujus fori sit delictum Adulterii? *Resp.* Quod si agatur ad poenam infligendam, est mixti fori. Si vero ad separationem thori, & ad dotem restituendam, & alimenta praestanda, pertinet ad Judicem Ecclesiasticum tantum. *Antonell. d. lib. 6. cap. 33. num. 1.* Porro ubi de Poena sanguinis in adulterum agitur, judicium soli Judici Laico relinquitur.

5. *Quer.* Quae sit poena Adulterii de Jure Civili? *Resp.* Secundum jura antiqua est poena mortis. Sed hodie non videtur esse in usu; at ejus loco poena arbitraria, vel fustigationis, vel carceris, vel pecuniae. *Clar. in §. Adulterium. Antonell. d. cap. 33. num. 3.*

6. *Quer.* Quae sit poena de Jure Canonico? *Resp.* 1. Separatio thori. *cap. ex litteris, de Divortis.* 2. Privatio dotis. *cap. Plerumque, ubi Gloss. de donat. inter Vir. & Uxor.* 3. Infamia. *cap. Infames, 6. q. 1.* 4. Alia poena Episcopi arbitraria. *cap. Perniciosam, de Offic. Ordinar.*

7. *Quer.* An sint casus, in quibus adulteri non amittant Dotem? *Resp.* Esse sequentes. 1. Si uxor habeat filios ex primo marito. 2. Si maritus habeat concubinam, vel & ipse commiserit adulterium. 3. Si maritus occidat mulierem in adulterio deprehensam, (hoc enim ei non licet) 4. Si agatur de bonis paraphernalibus. 5. Si intercesserint tantum oscula, vel amplexus. 6. Si uxor cum consensu mariti deliquerit. Ita *Antonellus DD. allegans dict. lib. 6. cap. 33. num. 5.*

8. *Quer.* Quae sit poena contra Clericos adulterium committentes? *Resp.* Antiquitus erant deponendi, & in Monasterium detruendi. *cap. Si quis Clericus: 81. dist.* Hodie haec poena non est in usu, & puniuntur arbitrio Episcopi. *Antonellus d. cap. 33. num. 9.*

9. *Quer.* Qua poena puniuntur incurrentes Polygamiam, id est, conjuges, qui vivente alio conjuge, novas nuptias ineunt? *Resp.* Polygamiae crimen secundum aliquos spectare ad solos Inquisitores, quasi videantur male sentire de Sacramento Matrimonii. *Diana part. 4. tract. 7. resol. 4.* Sed verius est, esse delictum mixti fori, & puniri poena arbitraria, vel tritemium, vel iustibus funis, vel exilio, vel pecuniaria. *Diana ubi supra, & Ferrus quaest. moral. par. 1. q. 59. num. 1. & 2. Clar. in §. Fornica-*

tio. Vers. Dicitur etiam, ubi ait, morte damnatum fuisse quemdam, qui quatuor uxores habebat.

10. *Quer.* Qua poena puniantur Clerici in Sacris ordinati, qui Matrimonium contrahunt? *Resp.* Poena arbitraria, & ad Inquisitionem tanquam haeretici sunt deferendi. *Barbosi. alleg. 40. num. 43. Diana part. 4. tract. 7. res. 5.*

11. *Quer.* An causa Adulterii incurrantur de Jure Canonico aliae poenae? *Resp.* Damnatus de Adulterio efficitur infamis, & per consequens irregularis. Qui, si sit Laicus, & à Principe restituatur ex gratia adversus hanc infamiam, erit etiam liber ab irregularitate, à qua multo magis Episcopus potest dispensare. *cap. At si Clerici, §. de Adulteris. de Judic. Ugolin. de Irregularitat. cap. 6. §. 5. num. 3.*

12. *Quer.* An Clericus adulter fiat irregularis, si causa ejus adulterii maritus occidat uxorem? *Affirmative, quando nulla cautela adhibita commisit adulterium.* *Suarez de Censur. disp. 45. sect. 6. num. 5.*

13. *Quer.* An Adulter perdat Jus petendi debitum cum conjuge innocente? *Resp.* Negative, in foro conscientiae; secus autem si à conjuge innocente repellatur. *Sanchez de Matr. lib. 10. disp. 9. num. 30. & disp. 12. num. 7.*

14. *Quer.* Si conjugatus cadat in spurcicias carnales cum aliis personis, id est, oscula, tactus, mollitiem &c. An teneatur in Confessione manifestare, se esse conjugatum? *Resp.* Affirmative, quia haec est circumstantia necessarii exprimenda, ut dixi de Poenitentia *d. decis. 27. num. 17.* ubi compilavi alia peccata in usu Matrimonii omnino explicanda, & à Confessariis scienda.

CAPUT LXXI.

De Incestu.

1. *Quer.* Quid sit Incestus? *Resp.* Est congressus cum consanguinea, vel affine usque ad quartum gradum, & quod gradus est propinquior, eo gravius est peccatum. *Matthius d. disp. 11. num. 122.*

2. *Quer.* An in confessione sit exprimendus gradus? *Resp.* Securius esse, illum exprimere; quamvis multi DD. dicant, non esse necessarium, quia non mutatur species per mutationem gradus. *Matthius ibid.*

3. *Quer.* An, qui committit Incestum in primo gradu, teneatur declarare, an fuerit cum matre, vel cum filia, vel cum sorore? *Resp.* Alii DD. dicunt, non teneri; alii vero volunt, teneri, & certe tutius erit, hanc circumstantiam exprimere; sicut etiam illam, quando Confessarius rem habuisset cum filia Spirituali. *Sanchez de Matrim. lib. 6. 7. disp. 55. Matthius dict. disp. 11. num. 122. & 123.* ubi advertit, etsi non sit necesse, exprimere gradum, esse tamen exprimendam speciem vel consanguinitatis, vel

vel affinitatis, vel cognationis spiritualis, nam hæc differunt specie.

4. *Quer.* Quæ sit poena de Jure Civili contra committentes Incestum, vel nuptias incestuosas? *Resp.* Est privatio dignitatum, & pleuntur ad arbitrium Judicis. Riccius in collect. part. 1. decis. 151. & par. 5. decis. 1869.

5. *Quer.* Quæ sint poenæ de Jure Canonico contra patantes Incestus delictum? *Resp.* Quod sunt infames. Cap. Consanguineorum, 3. quest. 4. cap. Infames, 6. q. 1. Possunt excommunicari, cap. Incestuosi, 35. quest. 8. Et privantur facultate contrahendi Matrimonium, cap. In lectum, & cap. seg. 34. q. 2. Quamvis si de facto contrahant, Matrimonium valeat. Navar. cons. 1. num. 52. de Constit.

6. *Quer.* Quæ sit inflicta poena de Jure Canonico contra contrahentes incestuosas Nuptias? *Resp.* Qui scienter contrahunt in gradibus prohibitis, sunt ipso facto excommunicati. Clem. Unica ubi Gots. de Consang. & Affinit. cap. Non debet, extra eod. tit. Filii non sunt legitimi, nec parentibus succedunt, cap. 1. 35. quest. 7. Secus si ignoranter contraxerint cap. Inter, & cap. ex tenore. Qui filii sint legitimi. Incestuosus perdit Jus petendi debitum in primo, & secundo gradu.

7. *Quer.* An poenas supradictas incurrat, qui non seminavit in vase debito mulieris, sed contra naturam coivit? *Resp.* Non incurtere. Navar. in Manual. cap. 22. num. 43.

8. *Quer.* Quam poenam incurrant Clerici committentes incestum? *Resp.* Esse ab Ordinibus deponendos. Clarus in §. Incestus, Vers. Sed quæro. Et ipso Jure vacant eorum beneficia. Guid. Pap. decis. 239. Riccius in collect. decis. 1864. part. 5. Item Infames efficiuntur, & sic irregulares. Farinac. quest. 149. num. 1. & num. 136. Intellige si nascatur sententia super veritate delicti.

9. *Quer.* An habentes copulam incestuosam, teneantur eam exprimere in obtinenda dispensatione pro contrahendo Matrimonio in gradu prohibito? *Resp.* Affirmativè, aliàs dispensatio erit surreptitia, & nulla. Concil. Trident. sess. 24. cap. 5. de Ref. Matrim. Garzias par. 8. cap. 3. num. 36. Sanchez lib. 8. disp. 25. num. 8. Imò si copula habita fuerit cum spe facilius obtinendæ dispensationis, id erit exprimendum. Garz. ibid. num. 93. & 97. Sanchez num. 38. Item litteræ dispensationis sunt surreptitiæ, si copula habeatur post earum expeditionem, & antequam Commissarius eas exequatur. Garzias ibidem num. 69. Corrad. in Praxi dispens. lib. 8. cap. 5. num. 38. §. Ceterum. Et ego dixi de Poenitentia Decis. 48. num. 11. Vers. Decimo quarto.

10. *Quer.* Quid agendum, si gradus sit publicus, copula verò sit occulta? *Resp.* Posse peti in Dataria dispensationem gradus, & in Poenitentiaria dispensationem copulæ incestuosæ. Sanchez dict. disp. 25. num. 11. & 12. Thesaur. de Poenis, verb. Incestus, par. 2. num. 6. dicta mea Decis. 48. ibidem.

11. *Quer.* Quid Juris, si quis sponsalia secundo contrahat, primis legitime non dissol-

utis? *Resp.* Efficitur ipso facto infamis, & subindè irregularis quo ad Ordines suscipiendos, vel beneficia habenda. Layman. de Irregul. cap. 4. num. 1. Thesaur. Verb. Sponsalia, cap. 1.

CAPUT LXXII.

De Sacrilegio, & filia spirituali.

1. *Quer.* Quid sit Sacrilegium? *Resp.* Est violatio per actum Venereum Rei Sacre. Et est duplex, vel locale, quando actus venereus fit in Ecclesia, cimiterio, aut loco sacro. Vel personale, quando exercetur cum persona voto castitatis consecrata. Mastrius d. disp. 11. num. 125.

2. *Quer.* An sit in Confessione exprimendum, an persona fuerit adstricta voto simplici castitatis, vel Voto solemnii? *Resp.* Modernos DD. tenere, quòd id non sit necessarium exprimendum; sed tutius erit exprimere, quia magna differentia est, aliquem habuisse copulam cum muliere voto simplici castitatis adstricta, & copulam habuisse cum Moniali. Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 2. §. 1. num. 4. & Sanchez in Decalog. cap. 6. num. 14.

3. *Quer.* An mulier teneatur exprimere, se habuisse copulam cum Religioso Regulari, vel sufficiat dicere cum Religioso? *Resp.* Secundum modernos sufficere, si dicat cum Religioso; quia peccatum est idem, eademque malitia. Sanchez lib. 7. disp. 27. num. 27. de Matrim.

4. *Quer.* Quam poenam incurrant mulieres ingredientibus clausuram Regularium ad malum finem? *Resp.* Mulieres ipsas incurere excommunicationem Papæ reservatam. Navar. cap. 27. num. 150. Quaranta Verb. Monasteria. Thesaur. Verb. Clausuram Regularium, cap. 2. in fin.

5. *Quer.* Quæ poena feriatur, qui rem habet carnalem cum Moniali ingrediendo Clausuram? *Resp.* Incurrit excommunicationem Papæ reservatam. Barbosa alleg. 50. num. 186. Si sit Clericus, est omnino deponendus. Diaz. in Praxi cap. 84. Farinac. quest. 146. num. 26. Est ipso jure infamis, & irregularis, & poena arbitraria punitur. Menoch. de Arbitr. Judic. lib. 2. casu 360. num. 58. At in Laicis statuta est poena mortis. Farinac. quest. 146. §. Sacrilegium, num. 3.

6. *Quer.* Quid agendum cum Confessario, qui in Sacramento Poenitentiae sollicitavit mulierem ad turpia? *Resp.* Ex Bulla Gregorii XV. est Sancto Officio denunciandus; & ideo Episcopi tenentur Confessariis in mandato Confessionis hanc obligationem inferere. Diana par. 4. tract. 5. resol. 31. ut dicimus infra cap. 126.

7. *Quer.* Quis teneatur talem Confessarium denunciare? *Resp.* Persona sollicitata, an quilibet alius, qui notitiam habeat sollicitationis saltem ex auditu personæ fide dignæ. Diana par. 4. tract. 5. resol. 18.

8. *Quer.* An mulier sollicitans Confessarium sit denuncianda? *Resp.* Negativè, quia cum id raro accidat, Bulla facta est non contra